



**Illustrissimi principis et domini, Caroli cardinalis a?
Lotharingia Oratio habita in sacro oecumenico Concilio
Tridentino in Nouembri 1562. : Tridentum adpulit cum IX.
Episcopis & IIII. Abbatibus Mense Nouembri, Anno 1562.
nomine Ecclesiarum Galliae.**

<https://hdl.handle.net/1874/427948>

fle

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DO- MINI CAROLI CARDINALIS

à Lotharingia, Oratio habita in sacro
œcumenico Concilio Tridentino in Nouembri

1562.

*Tridentum adpulit cum IX. Episcopis & IIII. Abba-
tibus Mense Nouembri, Anno 1562. nomine
Ecclesiarum Gallie.*

PARISIIS,
Anno M. D. LXIII.

ILLUSTRISSIMI
LUDVICO ET DOMINA DO-
MINI CAROLI CARDINALIS
POLONIENSIS Quidam peritissimo
sculptorico Coescio Triumphi
moris Romani

Expositio de laudibus et virtutibus
sancte Virginis Mariae III. libro
Benedictus Gratianus

LAVISSI
AD M. D. LXIII.

ILLVSTRISSIMI

PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI

Caroli Cardinalis à Lotharingia, Oratio, ha-
bita in sacro œcumeno Concilio Tri-
dentino in Nouembri,

1562.



ILLVSTRISSIMI Dō
mini, Domini Reuerēdis-
simi Episcopi, Christianiss.
Rex Carolus, Reginæ Ma-
tris Christianissimæ auto-
ritate, ac præcipuo Regis
Nauarræ ad sensu, Proce-
rumq; omnium conscri-
ptorum consilio, has lite-
ras quæ modo perlecte, decreuit, mihiq; ad vos per-
ferendas dedit. Quarum præcipua ea capita, quæ ma-
iorē ex me explicationem desiderant, pro ea q mihi
credita est fide, explicabo quām breuissimē potero.
Hę, vt meministis, statim in initio rerum Regni illi-
us nostri nobilissimi, amplissimi ac florentissimi
quondam, summaq; erga Regem fidei & obserua-
tiæ, statum & conditionem testantur.

Dicam vno verbo, nō sine incredibili animi do-
lore, FVIM VS GALLI, FVIT INGENS
GLORIA FRANCOR. Hę rerum omniū,

A 2 Cl-

Clarissimi Oratores, sunt vicissitudines. Manus
domini tetigit nos, viri Patres ac fratres, hoc nobis
iustum Dei iudicium in ira sua prouocauit. Corru-
pti omnium ordinū mores, ac Ecclesiastica omnis
collapsa disciplina, has turbas excitauerunt, hære-
ses non repressæ, & à Domino Deo nostro institu-
ta remedia tamdiu neglecta.

Hinc illæ lachrymæ, ac per totum Regnum dis-
fidia, odia, rapinæ, bella intestina, ac plus quam ciui-
lia. Luctus ubiq; ubiq; dolor, & plurima mortis
imago. Nec sacrosanctis Dei tēplis parcitur. Pre-
sbyteriac religiosi viri ad aras vsq; quas amplexan-
tur, morientes trucidantur. Visibilia Sacramento-
rum signa pedibus conculcantur, comburuntur.
Passim erecti ad parent rogi, ex omni genere eccl-
esiasticorum ornamentorum accensæ de imaginib-
us direptis piræ: additis omnium, non solum eccl-
esiasticarum, sed antiquissimarum bibliothecarū
libris. Nec quicquam ex chartis publicis, & instru-
mentis, quæ ad dotationem pertinent, referuatur.
Sanctorum reliquiæ, ruptis altaribus, in cineres re-
diguntur, qui sunt in profluentem posthac proie-
cti. Horresco referens, nec à summorum Pontifi-
corum, Imperatorū, Regum, Principum, Episco-
porum, & sine discrimine, aliorū omnium sepul-
chris abstinetur, eorum maximè, qui de Eccle-
sia Dei benemeriti, per monumenta reperiuntur.
Nomen Domini ubique blasphematur, spiritus
men-

mēdaciī in ore omnium est, qui falso verbi Dei ministerium usurparunt. Atq; ita expulsis pastoribus alius ouis custos fur & latro, in ouile ascendit. Ac postremo, quod longe omnium est grauiissimum, iuge & sacrosanctum sacrificium, apud eos cessat. Quod intermissum, quantam ruinam secum adferat, ac quantam Regibus iacturam, & meministis, viri doctissimi, ex Prophetarum oraculis, & experientia iam in magnis imperiis, florētissimis regnis, amplissimis prouinciis, didicistis, atq; in Gallia iam adspicitis. Regis enim Maiestas contemnitur, imperia detrectantur, non modo vestigalia, sed prouentus etiam, negantur, iura omnia & leges silent, quilibet vindictam quam exercet, ex priuato odio metitur, ad defectionē populus excitatur. Postremo, excusso Monarchiæ, quod aiunt, iugo, anarchia, in concionibus publice proponitur.

Hæc omnia, apud vos cogitate, Clarissimi Ora-tores, & quod in Gallia vobis nunc videre ociosis licet, sera nimis penitētia experiemini, si mole sua Gallia, ex vicinia, vos in ruinam trahat.

Sed quid vos sanctissimi Episcopi detineo? aut diutius adfligo? Superfunt tanto huic nostro malo oportuna remedia. Habemus enim magnæ spei pupillum Regem, non tam regni ex legitima succeſſione Monarcham, quam religionis & virtutū omnium audum hēredem, quem pater Henricus, & auus Frāciscus excitant, & in quo iam Francisci

fratris demortui, omne genus virtutum igniculi
relucent. Nec defunt Catharinæ Reginæ viduæ, &
Nauarræ Regi, optima consilia, & infractæ Proce-
rum vires. Nullis opibus parcitur, vndique auxi-
liares copiæ parantur. Fitq; via, vi, sed in nostra vis-
cera, quantumcunque victrix dextra sit, ferrum
conuertitur. Eruuntur opes, & fit lamentabile re-
gnum.

Iamq; nulla ad sedandos tantos tumultus apti-
or via, nullum præsentius remedium, quam quod
ab hac sacro sancta vniuersalis Ecclesiæ legitimè in
spiritu sancto congregata Synodo, expetitur. Huc
nos, maiorum exempla trahunt, hoc Dei verbum
docet, ac, ut stabiliuit ex promissis suis, quæ nunquā
fecit irrita, imperat. Atq; ita demum ex hoc loco
pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, expecta-
tur. Templum enim Dei sanctū est, quod sumus
nos, viri fratres. Et tametsi diuisiones gratiarum
sint, omnes tamen nos in uno spiritu, qui in nomi-
ne Domini nostri IE S V Christi congregati su-
mus, dicere necesse est, prout Spiritus sanctus dabit
eloqui. Quæ omnia, ut magis scire potestis, ad bene
beateq; decernendum, ex diuino præscripto, sunt
omnino necessaria.

Hæc omnia, Christianissimus Rex, cùm sibi sa-
tis persuadeat, nec quicquam alienū ab his, à vobis
expetet: duo tamen præcipua sunt ea, de quibus
vos admonet, pro sua in hanc Synodus obseruan-
tia,

tia, & pro ea, quam sentit ex his in religione dissidiis, summa molestia.

Primum itaque à nobis postulat, ut quantum fieri poterit, noua dissidia vitemus, nouas inquam, & infructuosas quæstiones relinquamus. Ac demum quantū nobis licebit, vitemus, ut Principes, & Provinciæ omnes, ab armis religionis ergo abstineant. Ab hoc desiderio excitandorum bellorum, prorsus nos alienos esse oportet: ne, qui ex nobis discesserunt, & ab Ecclesia Dei p̄ciderunt, existimemus, agis hoc conuentu Principes ad arma prouocari: & societas ac fœderatio iniri ad bellum quantumcūq; sacram: quam de vniuersali omnium animorum in unam fidem reconciliationē decerni: Solliciti ante omnia, seruare unitatem pacis. Si quid in ea sententia per Regem peccatum est, parcite quæso, Patres Amplissimi. Henricus pater eius auctor fuit pacis, quæ in Christiano orbe tam feliciter hactenus seruatur. Eā quasi testamento, paulo post moritus, filio Francisco Regi cōmendauit. Hac Franciscus frater, si nobistam citò ereptus non fuisset, magna prudentia retinere conabatur. Pupillo & viduæ, iniquissimas semper turbas, & bella intestina, Rex, & Regina Mater, valde pertimuerunt, & pacatos subditorum animos, ne quies publica interturbaretur summa prudentia, ac ut atatem & sexum detinet, perpetuò exoptarunt. Quod etiamsi, ut negari non potest, infeliciter succescit, infeliores tamen

men belli euentus sunt pertimescendi, ne, si omnes in eodem periculo versentur, eadem tempestate acti, nemo periclitantes adiuuet, ac simul vnu idemq; naufragium omnes faciamus. Summam propterea rationem haberi desiderat eorum, qui lapsi sunt, vt & illis, quantum ex Deo poterimus, condonemus, quibus & nos amicos esse liceat, sed vsq; ad aras.

Alterum legationis meæ caput est, quod iam à principio, Regi meo Christianissimo, cū Sereniss: Imperatore, & religionis Regibus, & Principibus viris, quorum hic Oratores viros clarissimos habetis, fuit commune: Nempe, vt de reformatione & morum & ecclesiasticae disciplinæ, omnino decernatur. De hac iterum iterumq; vos admonet: ad eam amplectendam, qua potest obseruantia hortatur, & per Dominum nostrum IESVM Christum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, obtestatur. Si ecclesiæ auctoritatem integrum esse vultis, si eius dignitatem obseruare, si iam inclinatum nobilissimum Galliæ regnum retineri posse iudicatis, nec vos ex vestris commodis nostra incommoda metiri æquum est. Si enim vniuersa hæc Italia, si Hispania omnis, sedem adhuc & clauum tenet, gratulamur vobis, felicissimi Patres. Nos pupi excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus.

Hic vobis liceat, iure vestro, causas à nobis tantæ

tem-

tempestatis exquirere. Quem accusabimus Coepi-
scopi fratres? quem tanti maliauctorem constitue-
mus? Memini, quid velitis, nec memoria excidit
vestrum de ea re commune omnium iudicium.
Hoc non sine innato pudore, & magna antea&æ
vitæ pœnitentia dicere me oportet. Propter nos
tempesta hæc orta est viri Patres, propterea mitti-
te nos in mare. Quid addam amplius? Habetis hic
cōfidentes reos, in eos ut lubet animaduertite. Nūc
iudicium incipiat à domo Dei, & mundentur qui
ferunt vasa Domini. Attendantus nobis, & vni-
uerso gregi, quiescamus puerè agere, & discamus
benefacere. Imò potiùs tu misericors & misera-
tor Deus per viscera misericordiæ tuę attende pla-
cate& fac adauge nobis fidem, ut sine timore de
manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus
tibi. Nunc viribus opus est Patres, nunc pectore
firmo.

Sed vereor Illustrissimi Domini & Reuerendissimi Episcopi, ne nimis importunè agam. Non est enim spontè currentibus addendum calcar. Fi-
nem igitur faciam: est enim mea hæc expedita à Re-
ge legatio. Si quid scire vos amplius oportebit, id
omne Clarissimi Regii oratores curabūt. Ego ve-
rò, & mecum vnà qui ex Gallia aduenerunt Re-
uerendissimi Coepiscopi, in hac vniuersalis Eccle-
siæ sacrosancta Synodo testamur beatissimo Pa-
pæ Domino Pio Pontifici Maximo post Deum,

in perpetuum subditos esse velle. Eiusenim nos in
terris primatum, super oēs Ecclesias, agnoscimus:
cuius nunquam imperium detrectabimus. Eccle-
siae autem Catholice, ac sacræ Generalis Synodi de-
creta veneramur: vobisq; Illustrissimiac Reueren-
dissimi Legati, fasces submittimus, Sāctissimis Epi-
scopis dextras societatis offerimus, & Clarissimos
Oratores, testes sententiarum nostrarum hic ad-
esse vehementer gratulamur, vt Spiritu sancto du-
ce in omnibus, per omnia, & semper honorifice-
tur Deus & pater Domini nostri I E S V Christi,
Amen. Dixi.

ORATIO, HABITA A RENAL-
DO FERRERIO, ORATORE REGIS GALLIA-
rum Christianissimi, in sacra Oecumenica Tridenti-
na Synodo.



Rationibus, quas nunc audistis Illustriss.
D.D. sanctissimi Patres, nihil est, quod à
nobis quidquam addi, aut detrahi debe-
at, tantum vnum dicemus, bona venia pa-
ternitatum vestrarū, pro muneric nostri ratione.
Christianiss. Regis, pius, religiosus, & in Catholi-
cam Ecclesiam propensissimus animus, antea qui-
dē erat omnibus fatis perspectus & cognitus: nunc
autem aduentu & oratione Illustriss. Principis, &
Reuerendissimi Cardinalis, adeò est illustratus, vt
non

non ullius quidem dubitationi locum relinquat.
Nam quominus antea tanti viri aduentus ab hominibus prudentibus, & peritis rerū humanarū sperrabatur: eò magis cū venerit, nemo est vel mediocre ingenio præditus, qui non planè videat, quantū Galli Ecclesiæ Catholicæ cōsultum velimus: quiq; non intelligat, plures easq; grauissimas esse causas, quibus adductus Rex Christianiss. illum ad vos misericordia, cuius singulari consilio in rebus magnis agendis, cùm antea semper usus est, tum maximè his miserrimis & calamitosiss. Galliæ temporibus.

Qui autē existimant, priuato magis commodo, quam Reipub. Christianæ causa hæc à nobis fieri, vehementer falluntur. Potest, si modò velit Rex Christianiss. vel triduo seditiones omnes, & motus suorū componere, inq; officio & obsequio Gallis innato, subditorum etiam animos retinere: sed nō tam quæ sua sunt, quærerit, quam quæ sunt Catholicæ Ecclesiæ & Pontificis Maximi: cuius dignitatem & autoritatē, ut sartam teatam in Gallia retineat, nō dubitat, tanti regni imperiū, vitam, & fortunas magnorū Principum, Procerum & Nobiliorum, in periculum adducere. Hic est Galliæ nostræ status, hæc fundi nostri calamitas.

Quod si quis nos roget, qd tandem illud est, quod Ecclesia Gallicana tantoperè à Cōcilii Tridentini Patribus expedit: non sumus, Patres sapientiss. in petitioib; nostris admodum morosi & difficiles.

nihil aliud petimus, quam quod totus orbis christianus efflagitat. Quod à Concilii Nicæni Patribus petiit magnus ille Constantinus, hoc ipsum à vobis requirit Rex Christianissimus. Oia illius postulata continentur aut sacris Bibliorū literis: aut vetustis Ecclesiæ Catholicæ Conciliis: aut antiquis Pontificum & Patrū constitutionibus, decretis, & Canonibus. Hæc sunt, hæc inquam sunt, quorum nomine Rex Christianiss. Ecclesiæ Catholicæ primogenitus filius, Ecclesiæ inquam Catholicæ petit restitutionem in integrum apud vos, quos Dominus noster Iesus Christus, Prætores legitimos creavit. Neq; hoc ipsum petitur ex clausula, ut dicitur generali: sed ex verbis expressis edicti illius diuini & perpetui, aduersus quod nunquam fuit, neque inquam erit usucaptioni, aut præscriptioni locus. Redeant saltem quasi postliminio: in sanctam Dei ciuitatem, & in lucem hominum tandem prodeant, quæ antiquus hostis Sathan vieripuit, & longo tempore suppressit.

Sic Darius, Persarum Rex, motus in Iudæa propter religionē excitatos, sedauit. Non enim ad arma continuò, verū ut maiorum suorum leges, & antiqua edicta inquirerentur, iussit. Cumq; invenatum esset Regis Cyri edictum, de reditu Iudeorum in Iudeā, & templi instaurazione à maioribus suis neglecta, mādauit executioni, & ita pacati sunt tumultus. Iosias Rex laudatissimus, & synceriss. eccl-

clesiasticæ disciplinæ exactor & reformato, librū
legis ab Alcia magno sacerdote inuentum, postea-
quam hominum malitia, longo tempore suppres-
sus fuerat, primū legit diligentissimè: deinde le-
ctū recitauit populo: tum ex illius præscripto ri-
tus & præcepta diuina Iudæis restituit. Strenui illi
Nehemiac milites, quos tantoperè commendat
Chrysostomus, altera quidem manu telum tene-
bāt, altera muros Hierusalem ædificabant, hoc est,
Ecclesiam, ex antiquis Patrum legibus restituebāt.
Nisi hæc fiant Patres Sanctiss. frustrà à vobis roga-
bimus, num etiam pacata est Gallia? Nos enim vo-
bis respondebimus quod Iehu Regi Iocan roganti,
num pax, num pax? Et quomodo, inquit ille, pax,
cùm adhuc supersint & vigeant? nostis cætera.

Nisi his rebus diligētiū detur opera, nos frustrà
confugiemus ad potentissimi illius, & maximi Re-
gis Catholici affinitatem, singularem amicitiam,
incredibilem liberalitatem. Frustrà fidem & auxi-
lium implorabimus Pont. Maxi. Sereniss. Vene-
torum dominii, Lotharingię, Allobrogum, & He-
truriac Principum auxiliares copias. Frustrà enim,
mihi credite, erit equus ad salutem. Nisi hęc à vobis
fiant, turbabitur breui, nimia quorundam securi-
tas: & quod caput est, qui interea peribunt, tametsi
id illis sua propria iniustitate & peccato eueniet,
vobis tamen peribunt, hoc est, sanguis illorum de
manu vestra requiretur.

Sed priusquam nos ad ea veniamus, quæ suo loco & tempore sumus dicturi, secundumq; mandatorum nostrorum formulam agamus: petimus à vobis sapientiss. Patres, à vobis inquam, quos vestra sponte scimus esse satis incitatos, quorumq; pietatis, religionis, & in omnes homines charitatis, sumus non solum auriti, sed etiam oculati testes, ut ea, de qbus iam diu cœpistis deliberare, quā breuissimè fieri poterit, absoluatis, quò citius possitis de multò grauioribus, & magis hoc tempore necessariis, sententiam vestram dicere: & his conuentibus Ecclesiasticum finem imponere, ad laudem, gloriam, & honorem Dei Patris omnipotentis, eiusq; Filii, Domini nostri IESV Christi.

RESPONSVM SANCTAE

SYNODI, AD ORATIONEM ILLVSTRISS.

ac Reuerendiss. Cardinalis à Lotharingia,

Datum 23. Nouembrys.



Illiustriss. ac Reuerendiss. Domine: INTER cæteras Christianæ Reipublicæ miserias & calamitates, quarū memoriam sacrosancta Synodus neq; depone-re, neq; sine lachrymis repetere vnquā potest, nulla eius animum cura magis anxium ac solicitū semper habuit, quam feditiones & bellici tumultus, qui religionis causa in florentiss. Galliarum regno commoti ac concitati, dicerentur. Nam cùm omni-

omnitempore regnum illud firmissimum Catho-
licæ veritatis præsidium & columen iure optimo
habitum fuerit, cogebatur sancta Synodus incre-
dibili dolore affici, cum intelligeret, eiusmodi fa-
ctam esse rerum commutationem, ut non in una,
aut altera, sed in pluribus eius Provinciis, omnia
ferè impietas, cædes, vastitas occupasse videretur.

Accedebat præterea ad augendam doloris acer-
bitatem, quod nuntiabatur nobilissimos gentis ve-
stræ Proceres (quod scilicet, alii orthodoxam fidē,
labefactatam & euersam: alii defensam & cōserua-
tam maximè cuperent) tanto animorum ardore ad
arma concurrisse, quanto olim Christianissimi Re-
ges vestri totius Galici nominis consensu, pro
Christianæ religione propaganda, eiusq; dignitate
recuperanda, difficillima sæpe bella suscepissent, ac
confecissent.

Verum antea cū hæc mala sancta Synodus mul-
torum fama & auditione accepisset, grauiter sanè
dolet, & presentem inclytiregnistatum maximè
deplorabat: Ita tamen, ut facile crederet, multò sibi
miserabiliorē eius fortunam videri posse, si, quod
aurium sensu percepérat, cernere etiam oculis, &
propius omnia eius vulnera intueri, ac penitus
per noscere licuisset. Quod quidem, illi nunc, in-
sperato quodam modo contigit. Etenim Illustris-
simi & Reuerendissimi amplitudo vestra, Chri-
stianissimi Regis literas, quæ nuper recitatæ sunt,
ora-

oratione sua subsecuta, ea verborum copia, grauitate, prudentia, Gallicarum rerum statum & conditionem exposuit, vt eas nō commemorasse, sed earum veluti expressam imaginem omnium oculis subiecisse videatur.

Quare constanter sancta Synodus affirmat, se nullas ei proprias ac præcipuas doloris partes concedere: verū etiā eō acerbius hanc calamitatē ferre, q̄ amplitudo vestra, matris (sanctae Synodi charissimæ & dulcissimæ filiæ) ærumnas, & incommoda defleat, ac conqueratur. Sed tamen in tantis malis animum erigit & cōfirmat. Siquidem breui futurum confidit, vt Deus reddat puerō Regi pristinam maiorum suorum, & præsertim aui, parentis, ac fratri, clarissimorum Regum, virtutem & fortitudinē: quæ non solūm nepharios hostium conatus reprimere, & audaciam vlcisci queat, sed in tenera etiā ætate singulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem posteritati prodere.

Deinde verò, cùm diuina clementia, atq; misericordia, & S. D. N. pii Papæ Maximi opera & auctoritate hoc sacrosanctum generale Conciliū coactum sit: si vñquam antea, nūc certè maximè, sperandum est, fore, vt verus Dei cultus, discussa errorum caligine, ab omnibus agnoscatur, mores emendentur, pax & tranquillitas Ecclesiæ restituatur. Qua in re quemadmodū adhuc sancta Synodus

dus omnem diligentiam adhibuit, vt quæ sui muneris & officii esse intelligebat, adiuuâte Domino perficeret: ita in posterû nihil se de ea cura remissuram, verùm si fieri possit, aliquid potius ad eam studii & industriæ additurâ esse pollicetur ac spondet.

Neq; verò, Illustrissime Domine, te impulsore solûm atq; hortatore, sed multò magis (quod summae fœlicitatis loco habendum existimat) adiutore & consiliario id faciet. Nouit enim quanta tua sit optimarû artiū, & præcipuè sacrarû literarû scientia, maximarû rerum usus atq; tractatio: apud Regem potentissimum, summosq; Principes existimatio & authoritas: & quod caput est, pietas in Deum, vitę integratas & innocentia, ac veræ & Catholicae religionis syncerum studium. Quæ quidem tot & tanta sunt, vt quid potissimum in te homines laudare debeant, maximarû ne virtutum cumulum, an in quoq; genere absolutâ ac perfectam earum formam, meritò dubitari possit. Illud autē exploratissimum sancta Synodus habet, tam multa ab Reuerendissima amplitudine vestra, ad cōmunis causæ utilitatem adiumenta allatū iri, vt sibi nūquam minùs iucundam eius aduentus memoriam futuram confidat: quam ille ipse dies, qui venientem excepit, lœtissimus ac iucundissimus omnibus illuxisse visus est.


Itaque, Illustrissime Domine, omnes hi sanctiss. Patres, quòd tam longo, difficiili, ac periculo so iti-
C nere

181973°


nere suscep^to, ad tuendam sanctæ matris Ecclesiæ dignitatem, tanta animi alacritate accurreris: quod saluus & in columnis cum grauiss. patrum comitatu adueneris: quod tua præsentia, authoritate, splendore frui liceat, primùm Deo immortali maximas gratias agunt: deinde tibi ex animo gratulantur, faustaq; omnia ac fœlia à Domino precantur.

Cæterūm quæ de priuatis Gallicarum Ecclesiæ commodis proponenda erunt, ea sancta Synodus, quotiescunq; Regis Oratoribus viris præstantissimis, vel illuſtrissimæ amplitudini vestræ de iis dicēdi locus & potestas dabitur, libentissimè audit. Neq; enim dubitat, quin eius Regis nomine, qui pueritiæ cōmendationē à pietatis acerrima defensione duxerit, cuiusq; in omni vita precipuum ornandæ atq; amplificādæ Religionis studium esse debeat, ea proponantur, quæ in primis cum vera Dei gloria, perpetuaq; sanctæ eius Ecclesiæ utilitate, & summa Apostolicæ sedis dignitate & amplitudine, coniuncta esse videantur.

2043 -



OCN 1373885316



48
Chiricahua 94

